

AD I. COR. CAP. IV

His omnibus & titulus Patris, & gignendi verbum convenit, sed suo cuiq; gradu. Sic Christus fundamentum & Apostoli fundamenta: Christus servat homines, & Apostoli eos servant. Pater hoc loco is est, qui primus in Evangelio aliquem instituit.

Sensus est, mihi præ cæteris obedire debebatis, tanquam *Patri vestro spirituali*: Cæteros etiam, si qui secundum doctrinam meam incedunt, audire, ut *pedagogos vestros*. Etsi enim in mundo non parùm contemnor: Tamen hunc honorem mihi præ aliis concessit Dominus, quod per ministerium meum vos regenui. Dum autem vendicat sibi hunc Patris titulum Apostolus, non excludit socios *Apollo, Sosthenem, &c*: ceu fideles *συνεργῆς*, sed eos, qui perversâ ambitione gloriam Apostoli destruere & ad se rapere conabantur. Discimus etiam hinc, non tantùm *Evangelio*, ceu medio saluris vim regenerationis tribui, sed etiam *Verbi ministri verbi Doctoribus* ceu causæ ministeriali, non improprie, vel *cohestandi causa*, ut *Calviniani* cavillantur, sed proprie, cum *vera causa* sint regenerationis, & si *ministeriales*, subordinatæ causæ *principali*, per quas Deus ceu *causa principalis* nos regenerat. Ideo *Timotheum filium suum* dixit. In *Christo Jesu* autem genuit Corinthios, id est, *merito & efficacia Christi*, ceu Mediatoris & Redemptoris, per & propter quem regeneramur ad vitam spiritualem, & æternam. 1. Petr: I, 3.

V. 16. Παρακαλῶ ὑμᾶς, μιμηταί μου γίνεσθε.

Quid ni id fieri possit, cum Paulus Christum ipsum sit imitatus? Infra XI, 1. Imitationem autem præcipue requirit cura tutandæ in Ecclesia rûm unitatis, tum sanctitatis.

Ad *humilitatem* proprie hortatur, ut eam sui exemplo sectentur & probent. Simul autem ad alias virtutes, etiam ad *concordiam* excitat. Facit hæc exhortatio non saltem ad *mirigandam correptionem*, quia se *Patrem* ad imitationem sistit, sed etiam ad asserendam suam *autoritatem* in ipsos, quam pater habet in liberos præ *pedagogis*. Quæ ut fructuosior sit, *Timotheum filium suum* singulariter *γνήσιον & fidelem*, ceu *vivum exem-*